

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber
specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

LXV. Qualiter deus aminam poenis ornat.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](#)

servireque cum omni virtute usque ad sanctum finem valent.

Omnes quidem qui in corde puro per Dei amorem omnia reliquerunt sunt archimendicantes, qui in die novissimo judicium cum Iesu Salvatore nostro possidebunt. Domine, quidquid ad te cum dolore deferō, in me et in omnibus peccatoribus convertere digneris. Domine, quidquid a te postulo, præstare mihi, et omnibus imperfectis religiosis propter honorem tuum digneris. Domine, nunquam in corde meo laus tua ccesset et taceat, quidquid agam, omittam aut sustineam. Amen.

LXV. QUALITER DEUS ANIMAM PÆNIS ORNAT.

Si virgines ad nutum sui sponsi omni tempore vestitæ sunt, nihil aliud vestimenti opus est præter nuptialem habitum, hoc est, pœnas, morbos, quotidianas molestias et tentationes, cordisque tristitias varias quæ in peccatri christianitate ubique occurrunt. Hæ sunt amantis animæ nuptiales vestes: attamen operariae vestes, id est, jejunia, vigiliae, disciplinæ, confessiones, suspiria, lacrymæ, timor peccati, sensuum et corporis coercitio in Deo et pro Deo, cui addi potest dulcis spes et instans amoris desiderium, in omnibusque operibus cor indesinenter orans, hæc omnia sunt quotidiana et operaria boni viri vestimenta. Quando quidem infirmi sumus, nuptialibus vestimur; quando autem sani et validi, communibus induimur.

Sic ad exulem animam afflictum corpus loquitur: Quandnam alis tui desiderii volare ad deliciarum celsitudinem, ad Jesum, tuum æternum amorem, cupis? Ibi mei memento, domina; nam quantumvis vile et indignum sim, attamen meus esse voluit, quando in exilium venit, nostramque assumpsit humanitatem; ora ut me sine culpa in sua pura gratia servet usque ad bonum finem, dum tu, carissima anima, a me discésseris. *Anima*: Eia dilectissima mea custodia, in qua vinculis alligata sum, tibi gratias ago pro omnibus in quibus me secuta es. Tu quidem me sæ-

pissime turbasti, verum etiam in auxilium mihi præsto fuisti. A te in novissimo die ultima auferetur necessitas, indeque nobis nulla amplius erit querela; adeo nobis gratum erit a Deo nos fuisse creata; sicque firmiter sta et dulcem spem conserva.

Obedientia est quoddam sacrum vinculum quo Deo anima, Iesu corpus, Spirituique Sancto sensus religantur. Quo longius et protractius est vinculum, eo animæ major est amor eo major corporis, actuumque ejus depresso non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus qui sunt bona voluntatis.

EXPLICIT LIBER SEPTIMUS.